

3. Si Mævia adhuc ad manus sunt 500. floreni, illa præ omnibus tenetur ad restitutionem, utpote possidens rem alienam. Cum plures in solidum restitutioni adstringantur, ait Casabassutius L. 6. c. 23. n. 1. observandus est hic ordo, ut primum teneatur is, qui rem habet adhuc in sua substantia, aut certe æquivalenter, puta si ex aliena re jam consumpta factus est dominor. Deficiente Mævia tenetur præ reliquis Cæcilius, tanquam furti causa principalis. Hoc vero non restituente tenetur secundo ordine is, qui damnum alteri fieri mandavit, utpote causa damni principalis. Qui autem sub eo damnum fecerit, instrumentalis est causa. Idem ibid. Tertius igitur obligatur Diomedes, qui furtum perpetravit; & his tribus deficientibus Afranius, qui dedit consilium ad committendum furtum. Et si Mævia non amplius in sua possessione habeat rem ablatam, ipsa tamen & maritus aliis deficientibus tenentur ad restitutionem, cum certe participes fuerint commissæ iniustitiæ. Denique reliquis deficientibus tenetur restituere Julianus, si ratione officii aut servitii sui debuit avertere omne damnum ab hero suo. De cætero notandum 1. Si possessor rei ablatæ restituit, omnes reliqui complices liberantur ab obligatione restituendi. 2. Idem dicendum, si restituitio fuit facta ab eo, qui dedit consilium. 3. Si ii, qui fuerunt causæ furti minus principales restituerunt, causæ magis principales tenentur eos servare indemnes. 4. Denique si quis eorum, qui sunt causæ minus principales, obtinuit ab eo, cui debetur restitutio, condonationem suæ in particulari restituendæ partis, reliqui non amplius obligantur nisi ad restituendam suam pro se quisque partem pro integra damni reparatione. Pontas.

CASUS CXIV. Sylverius, Lampridius & Orontius ex condicito noctu Gabrieli de consilio Jacobi abstulerunt quisque sex vini amphoras, aliis duobus interea excublas agentibus, ne primi tres deprehenderentur. An uno integrum damnum reparante reliqui ab omni restitutionis onere sunt liberi?

3. Quod responsum est ad casum præcedentem, id ipsum responderi poterit ad præsentem. Si Sylverius totum damnum illatum repararet, Jacobus, qui dedit consilium, & duo excubitores ab omni prorsus restitutionis obligatione liberi sunt. Lampridius tamen & Orontius tenentur Sylverio præstare indemnitate pro ratione portionis, quæ ipsis ex furto obtigit. Pontas.

CASUS CXV. Gabriel, Andreas & quatuor alii domestici ante septem vel octo annos ex condicito repetitis vicibus Ferdinando hero suo 250. florenos abstulerunt. Gabrielem

hac

hac de re in confessione se accusantem obligavit confessorius ad restituendam totam summam; qui tamen pro excusatione reposuit 1. portionem ablati, quæ sibi obtigit, vix triginta florenos adæquare. 2. Verosimile non esse, quod complices furti, aut saltem non nulli eorum non restituerint partem suam. 3. Evenire posse, ut sexies Ferdinando integra summa redderetur, si quilibet complicum in solidum obligetur ad restituendam totam summam.

3. Prima ratio Gabrielis non potest admitti; cum certum sit, quemlibet complicum furti obligari in solidum ad faciendam integram restitutionem ablati. Secundam rationem proprio Gabriel exemplo destruit, dum tamdiu confessus non fuit, aut saltem furtum in confessione non exposuit, id quod etiam a complicibus fieri potuit; credibile insuper non est ab ullo eorum restitutionem factam fuisse; cum sit rarissimum, fures esse & perseverare in concepto restituendi proposito. Tertia demum ratio nulla est; quia remanente semper perpetrati furti certitudine certa remanet restituendi obligatio, complicemque de facta restitutione certum esse oportet; meraque possibilitas Gabrielem coram Deo excusare non potest. Totum, quod in hoc casu facere potest Gabriel, est, ut inquirat, an restitutio facta fuerit; &posito, quod facta fuerit, tenetur suam ablati portionem, nempe 30. florenos restituere illi, a quo facta est integra restitutio. Pontas.

CASUS CXVI. Blasius vineam Christophori viri omnibus infensissimi ingressus sæpes rumpere ac vites evellere incipiebat. Quatuor alii fortuito ibi se detinentes captam devastationem prosequerantur, quin tamen a Blasio fuerint instigati. Alii duo primorum exemplum secuti idem fecerunt, ita ut brevi temporis intervallo vinea penitus fuerit destructa. Tenenturne singuli isti septem in solidum ad reparandum damnum?

3. Si omnes ex condicito delictum hoc commississent, omnes, & quilibet in particulari, tenerentur in solidum reparare damnum illatum. Licet autem in præsentem casu nulla intervenerit conspiratio; cum tamen pravo exemplo maxima insit vis etiam alios trahendi in societatem criminis, & quo plures ad illud perpetrandum concurrunt, eo majori singuli accendantur audacia, etsi quilibet tantum proprio suo motu agat, satis probabiliter defendi potest, omnibus in particulari incumbere obligationem in solidum reparandi damnum, etiam illo non excepto, qui ex parte sua non nisi modicum contulisset. Sic sentit S. Bernardinus Serm. 33. in Dom.

4. Quadr. art. 2. cap. 1. Tom. 1. Nihilominus cum in casu

T 5

pro-

proposito damnum fuerit illatum successive, & diversis temporibus, non videtur quilibet in particulari obligandus in solidum ad reparandum integrum damnum, sed tantum pro ratione damni a se illati. *Pontas.*

**CASUS CXVII.** Fulcus & ducenti cum eo fanatici, quorum caput erat, ex condicto urbem quamdam expilarunt. Fulco in prædam venerunt 100. dupliones: conversus autem postmodum partem suam, cum plura non posset, restituendi promptum concepit animum. Cuinam facienda restitutio in hoc casu, in quo impossibile est particulariter nosse damnificatos?

*R.* Juxta S. Thomam in 4. dist. 15. q. 1. art. 5. quæstione. 4. ad 3. restitutio facienda est pauperibus urbis, aut res ablata pro bono communi incolarum impendenda secundum arbitrium Episcopi, vel eorum, ad quos spectat cura loci illius. Reliquis ducentis interea semper imposita manet obligatio in solidum reparandi residuum damnum, prout & Fulco ipsi. *Pontas.*

*NOTA.* Quoad modum obligationis restituendi in solidum vide & sequere legem charitatis, de qua ad casum 88.

**CASUS CXVIII.** Petrus sciens, Didymum Religiosum profectum dono accepisse horologium argenteum, illud ipsi furatur. Elapsis tribus mensibus Petrus rogat Didymum furti veniam & restitutionis condonationem; quam gratiam etiam Didymus illi annuit. Num liber exinde coram Deo Petrus est ab obligatione restituendi?

*R.* Idem hic dicendum est de debito, quod de donatione. Jam vero certum est, Religiosum profectum nec donationem facere, nec debitum remittere posse. Hinc condonatio debiti Petro facta a Didymo coram Deo nulla est, Petrusque semper manet obligatus ad faciendam restitutionem monasterio; cum Didymus nihil possidere possit jure proprietatis. *Pontas.*

**CASUS CXIX.** Cassianus mercator cum bona fide & ex inadvertentia accepisset adulterinum duplione pro genuino, præcepit uxori suæ, ut illum cum aliis commisceat, ac cum genuinis pro facienda solutione expendat; id quod uxor ex metu fuit execututa. Teneturne uxor proprio ac privato suo nomine ad restitutionem? aut num sufficit, si commoneat maritum de obligatione restituendi?

*R.* Maritus & uxor in solidum tenentur ad restitutionem. Maritus tamen tenetur prior, & eo deficiente uxor. *Pontas.*

**CASUS CXX.** Sempronia filia Mæviæ pluribus annis servit matri suæ sine ulla accepta mercede, iterata tamen sæpius proportionatæ remunerationis promissione. Mævia subito apoplexia tacta ac usu loquelæ destituta comprimit manum Semproniæ, & moritur. Sempronia id pro signo interpretata factæ sibi donationis triginta duplione, quos Mævia insciis reliquis Semproniæ sororibus reconditos habebat, hanc sibi summam vendicat in justam recompensationem præstiti per tot annos servitii. An peccavit Sempronia? Num legitime hanc sibi summam acquisivit?

*R.* Non peccavit quidem Sempronia contra conscientiam suam; cum non crederit se ullam committere injustitiam, aut Deum offendere: peccavit tamen contra legem, vi cujus nemini licet accipere rem alienam. Jam vero triginta dupliones non magis ad Semproniam, quam ad reliquas sorores ipsius pertinebant. Signum donationis a Mævia factum est valde ambiguum: poterat enim eadem vel ampliori verisimilitudine indicare desiderium auxilii spiritalis vel corporalis, aut provenire ex affectu amicitiae, aut omnino ex motu convulsivo. Hinc Sempronia reliquis sororibus suam ex retenta summa partem restituere tenetur. Servitia a Sempronia matri exhibita non tribuunt illi auctoritatem occulte sibi mercedem quærendi; quia filia tenetur gratis exhibere matri auxilia necessaria ac possibilia: ad hæc credibile non est, reliquas sorores in domo torpuisse otiosas, & nullum indigentem matri præstitisse obsequium. *Pontas.*

**CASUS CXXI.** Leodegarius & Leander nummularii communè frequenter exercebant commercium. Leandro defuncto Leodegarius defuncti hæredibus declaravit, in manibus suis quædam adhuc bona esse reposita ad Leandrum pertinentia, eaque illis reddidit addita simul & a se & a conjuge sua declaratione, sibi nulla alia superesse bona ad successores defuncti spectantia. Leodegarius & ipse post quatuor annos mortuus reliquit quatuor liberos, duos ex primo, ac totidem ex secundo thoro. Liberi ex primo thoro petierunt partem ex bonis paternis sibi competentem; sed noverca iis respondit, paratam se fore ad tradendam cuilibet partem suam, in conscientia tamen se obligari, ut indicet, bona sibi & Leodegario communia onerata esse debitis 1000. florenorum Leandri hæredibus persolvendorum; & ut illos de dictorum veritate omnino convinceret, prima restituit 500. florenos ex parte sua, quam ex bonis communibus habebat dimidiam. Liberi ex thoro primo de veritate rei persuasi suam etiam partem contribuerunt. Sed ubi noverca illorum e vivis excesserat

rat declaratione sua non retractata, liberi ex thoro secundo geniti coram iudice protestati sunt, se nullam de hoc debito patris sui habere notitiam, sicque per sententiam juridicam ab obligatione solvendi liberati fuerunt. Censendine sunt etiam liberi ab hac obligatione in foro interno?

g. Cum declaratio matris sincera videatur, & nullus omnino superfit locus suspicandi collusionem cum hæredibus Leandri, prudenter remitti non potest liberis secundi thori obligatio suam quoque portionem conferendi ad expunctionem debiti paterni. *Pontas.*

CASUS CXXII. Humbertus debet Bernardo & pluribus aliis notabiles admodum pecuniæ summas, pro quibus creditores immisionem in bona illius obtinuerunt. Verum Humbertus Bernardo amico suo gratiam facturum integrum ei ex bonis suis debitum solvit. Reliqui creditores hoc cognito prætendunt, Bernardum in conscientia obligari, ut accepta in communem massam referat. Potestne Bernardus uti quovis, quod in promptu habet, remedio ab hac obligatione sese eximendi?

g. Bona in favorem omnium creditorum arresto subjecta una cum fructibus inde provenientibus pertinent ad omnes creditores in communi, & non ad quemquam in particulari. Hinc Bernardus non potest tuta conscientia se eximere ab obligatione ad communem massam reponendi, quæ ab Humberto acceperat. *Qui vero post bona possessa debitum suum recepit, ait Lex Quod autem. 6. §. 7. ff. Lib. 42. Tit. 8. In hac in portionem vocandum, exæquandumque cæteris creditoribus: neque enim debuit præripere cæteris post bona possessa, cum jam par conditio omnium creditorum facta esset. Idem dicendum, dum debitor facit cessionem bonorum. Pontas.*

NOTA. Aliud dicendum, si Bernardus suam pecuniam commodasset ad breve solum tempus in usum determinatum privilegiatum v. g. fationem,

CASUS CXXIII. Hildebertus supplicavit pro aliquo officio annuorum reddituum 400. florenorum. Stephanus id sciens adiit collatorem, eumque rogavit, ne id conferat Hildeberto. Teneturne Stephanus ad reparationem damni illati?

g. Semper datur obligatio reparandi damnum, dum quis aliquem impedit a consecutione juris sui per fraudem, violentiam, aut potentes preces ad persuadendum efficaces; quia manifestam committit injustitiam, aut saltem efficaciter cooperatur ad injustitiam illius, qui bonum illud impertiri te-

ne-

nebatur petenti. Eadem datur obligatio, dum quis iniuria, calumniis, aut alio modo injusto quempiam impedit a consecutione rei, ad quam nullum habet jus. Stephanus autem, cum simplicibus tantum precibus usus sit, & Hildebertus nullum habuerit jus ad officium, non tenetur ad restitutionem; licet peccaverit contra charitatem. *Pontas.*

CASUS CXXIV. Patritius ex odio erga Thomam impedit, ne ei conferatur Præbenda, qua dignus erat; vel collationem aut præsentationem jam factam revocandam curavit. Teneturne ad aliquam restitutionem?

g. Potest quis impediri *juste*, ne Præbendam obtineat, si scilicet pro bono Ecclesiæ intendatur, ut Præbenda conferatur digniori; & tunc nulla datur obligatio restituendi: & alio modo *injuste* v. g. adhibendo violentiam, minas, aut calumnias, vel ex spiritu odii & animo nocendi, ut fit in casu præsentis. Et tunc distinguendum est: si collator aut patronus necdum plene determinaverint, se collaturos Beneficium huic personæ, etsi dignæ, impediens tantum tenetur ad simplicem compensationem juxta arbitrium viri prudentis, ut docet S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. ad 4. Si vero collator aut patronus jam promisit cuidam Beneficium, juxta eundem S. Doctorem impediens tenetur ad compensationem æquivalentem. Observandum hic ex S. Antonino 2. part. Sum. Theol. Tit. 2. c. 2. §. 6. quod, si quis impediret alterum a consecutione Beneficii solum animo illud sibi aut amico procurandi, nulla detur obligatio restituendi; quia non fit injuria illi, in cujus præjudicium petitur Beneficium a collatore vel patrono, utpote necdum perfecta collatione, & consequenter jure nemini adhuc acquisito. *Pontas.*

NOTA. Compensatio illa correspondens læsioni charitatis versari debet in genere obsequii indebiti charitatis, si inveniri queat occasio, aut certe iteratis precibus supplenda. Hæc autem obligatio non daretur, si quis haberet rationabile motivum dissuadendi vel impediendi alterius promotionem, v. g. ex intentione commendandi certo digniorem.

CASUS CXXV. Epimenides sciens, a quodam amicorum suorum Lælio universalem legatarium solemniter testamento fuisse institutum, vehementer adeo sollicitavit amicum, ut mutato testamento ipse universalis legatarius institueretur; prout & amico defuncto in bonorum ejus possessionem successit. Teneturne Epimenides Lælio ad aliquam restitutionem?

g. No-

β. Notandum, tres requiri conditiones, ut alterius bonum impediens teneatur restituere: 1. Ut impeditus facile potuisset rem obtinere, nisi hoc impedimentum obtulisset. 2. Ut impeditus potuisset iuste rem consequi. 3. Ut quis impederit per dolum & fraudem, mendacium aut minas, aliamve actionem iustitiae oppositam: id tamen juxta Cabassutium Lib. 6. cap. 14. n. 8. solum intelligendum est de impedimento illi posito, qui nullum habebat jus ad rem. Hinc Epimenides ad nullam Lælio tenetur restitutionem; quia amicum suum ad mutandum testamentum non induxit modo injulto, Læliusque nullum habuit jus ad hæreditatem, ac præterea testatori plena erat libertas revocandi testamentum suum.

NOTA. Cum charitas sui sit prior ac potior charitate erga proximum, Epimenides, si cætera sint paria, ne quidem peccavit contra ordinem charitatis commendando se ipsum vel amicum æque dignum præ alio non eminenter digniore. Si autem alius præoccupando jam cepisset quasi possessionem in animo testatoris, non posset arbitrarie deici sine violatione illius magnæ regulæ charitatis: *Quod tibi non vis fieri &c.*

CASUS CXXVI. Rex provinciam quamdam Alexandro commisit gubernandam assignatis ipsi redditibus 15000. florenorum cum multiplici jure utili. Præter ista assignati sunt ipsi mille floreni pro Capitaneo custodiæ suæ. Alexander hos mille florenos sibi applicaturus Capitaneum custodiæ suæ assumpsit virum nobilem de suo servitio, cui de hac pecuniæ summa obtigit nihil, licet singulis annis solutionis apocham subscribere debuerit. Unde Alexander suum Capitaneique stipendium sibi retinuit. Potest Alexander secura conscientia in proprium hos mille florenos reservare commodum, quin ad ullam viro nobili teneatur restitutionem? Idem quaeritur de præfecto æraril, vel alio ejusmodi ministro, qui pro suis usibus retinet id, quod a Rege assignatur pro persona ipsi adjuncta.

β. Nec Governator provinciae, nec præfectus æraril possunt in suum commodum applicare has summas; cum evidenter id sit contra intentionem Regis. *Pontas.*

CASUS CXXVII. Demetrius nobilis Gallus ab Imperatore Pisonii Governator constitutus præter nocturnas excubias etiam diurnas agi jussit a certa hominum copia, ut adventus hostium edito signo statim posset indicari vicinis oppidis, quorum singula in expensas harum excubiarum determinatam pecuniæ summam solvebant. Restituta pace Demetrius diurnas excubias inutiles esse ratus, eas omitti, & tantum nocturnas agi jubebat, licet vicina oppida easdem, quas

quas tempore belli, expensas solverent. Potestne Demetrius contributiones a vicinis oppidis factas in diurnas excubias, & restituta licet pace ac omiſſis de die excubiis perceptas retinere salva iustitia? Et posito quod teneatur ad restitutionem, cuiam faciendâ est restitutio?

β. Governator absolute non potest sibi retinere has contributiones restituta pace ac omiſſis excubiis perceptas. Considerare potius debet hanc impositionem ut injustam, & consequenter pro viribus eo tendere, ut aboleatur, aut saltem diminuatur, si in potestate ipsius sit: quod si non, saltem id boni contribuentibus procurare debet, ut Principi ob oculos ponatur, hanc exactiorem finito bello jam esse injustam. *Pontas.*

CASUS CXXVIII. Aristus incitavit Tullium ad corrumpendam aliquam foeminam. Teneturne ad reparationem Tullio faciendam?

β. Tenetur coram Deo illi reparare damnum spirituale illatum, quantum potest. *Tenetur modo sibi possibili restituere sibi damnum, ait Scotus in 4. dist. 15. q. 3. scilicet inducendo eum efficaciter ad poenitentiam, & ad actus virtuosos: & si sola inductio non sufficiat, quia facilius est pervertere quam convertere, tenetur & per se orando & per orationes aliorum procuratas impetrare illi conversionem, & per alios persuasores efficaces.* *Pontas.*

CASUS CXXIX. Eustorgius mandavit Rellio filio suo, ut Lælium verberibus excipiat, prohibita tamen ipsi occisione aut mutilatione. Filius autem paterni mandati limites transgressus vel mutilavit vel occidit Lælium. Teneturne Eustorgius reparare omnia damna inde secuta?

β. Qui mandat actionem malam, principalis ejusdem causa est, & tenetur juxta S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 9. C. reparare integrum damnum exinde secutum. Hinc & Eustorgius tenetur de omni damno ex actione filio demandata secuto. *Pontas.*

CASUS CXXX. Macrobius præcepit Judæ famulo suo domestico, ut necaret equum Caji inimici sui: postea vero facti poenitens revocavit mandatum suum. Judas nihilominus insuperhabita revocatione heri sui enecavit equum. Teneturne Macrobius in conscientia ad restituendum Cajo pretium equi?

β. Quamprimum mandatum fuit revocatum ante executionem ejusdem, Macrobius non tenetur ad restituendum pretium equi; tenetur autem Judas, qui executus est mandatum, quod sciebat esse revocatum. *Communiter concludunt*

*Docto-*

*Doctores*, ait Caballus L. 6. c. 16. n. 5. eum, qui mandaverat, si ante executionem mandatum penes mandatarium revocaverit, excipi ab onere restituendi . . . sic enim satis superque cessat mandati præcedentis influxus. Pontas.

CASUS CXXXI. Henricus mutuos dedit 1000. florenos Laurentio mercatori sericario. Cum autem ex communi rumore cognovisset: res Laurentii lapsi esse proximas, petiit ab eo solutionem. Laurentius libere fatetur, negotiationem suam pessimo esse loco, consentitque, ut omnes merceres reliquæ transferantur in securum locum, & ex earum venditione Henricus retineat mille florenos, residuum autem sibi reddatur; id quod executioni datum est. Verum Laurentius residuum ex mercium venditione pretium brevi dissipavit; exceptis 250. florenis adhuc in manibus Henrici hærentibus. Henricus postmodum a quodam Laurentii creditore in iudicium vocatus favore & auctoritate amicorum suorum causam lucratur, procurata insuper creditoris condemnatione in actionis expensas 250. florenorum summam adæquantem. Jam quæritur, ad quid teneatur Henricus, qui in omni suo agendi modo summam Laurentio charitatem exhibuisse se arbitrabatur, nec a longe suspicans, mali quid se fecisse.

ꝑ. Henricus vere est complex occultationis mercium Laurentii, & quidem non sine notabili damno creditoribus illato. Et hinc tenetur in conscientia ad præstandam illis indemnitate quoad omnia, quæ Laurentius male dilapidavit, ac etiam quoad summam 250. florenorum in manibus suis relictam. Quod attinet 1000. florenos a Laurentio illi debitos ac perceptos; si hujus summæ solutio in iudicio idoneis testibus probaretur, teneretur eam referre in massam communem; imo posset puniri ut complex decoctionis a Laurentio factæ. Pontas.

CASUS CXXXII. Caprasius Titii confessorius dedit ipsi consilium, ut restituat centum florenos; ad quam restitutionem tamen Titius non tenebatur. Obligandusne Caprasius ad reparandum Titio damnum?

ꝑ. Doctores non conveniunt circa hoc punctum. Nihilominus videtur, Caprasium teneri ad faciendam suo penitenti restitutionem 100. florenorum, si hoc ei consilium dedit ex malitia, ignorantia graviter culpabili, aut ex imprudentia inexcusabili. Et hæc est sententia S. BERNARDINI *Serm. 34. in Dom. 4. Quad. tom. 1.* Cujus rationes sunt: *Prima*, quia tenentur talia præcavere. *Secunda*, quia unusquisque tenetur sufficienter scire & exequi diligenter artem, quam pro-

profitetur; maxime quando vergit in periculum alterius error suus. Tertia, quia eorum imperitia & negligentia habent quamdam efficacem causalitatem damnificationis illorum. Si tamen confessorius competenti scientia instructus erret, penitentem eximendo ab onere restitutionis, ad quam obligatur, vel ad illam sine necessitate obligando, suggesto consilio, quod in conscientia dandum esse putabat, non videtur talis obligatus esse ad reparandum damnum in his circumstantiis illatum; dummodo in casu dubii consuluerit viros eminenti scientia conspicuos, si fieri potuerit. Pontas.

• *Nota.* Hinc in materia restitutionis, si occurrat casus extraordinarius, de cujus resolutione confessorio prudens occurrit dubium, peccat confessorius, nisi sibi tempus deliberandi vel peritiores consulendi exposcat, aut si penitens redire nequeat, eum ad consulendum alium peritum suæ vicinæ confessorium obliget.

CASUS CXXXIII. Theocrites homo privatus, catapulta, duobus sclopis minoribus, & gladio instructus, ac cujusdam amici pariter armati comitatu stipatus plateam civitatis pertransit, & furem deprehendit, qui actu domum vicini sui spoliabat: quem, licet facillime abigere potuisset, tamen non abigit. Teneturne fure non restituente reparare damnum vicino suo illatum?

ꝑ. Graviter in hoc casu peccavit Theocrites contra charitatem; ad restitutionem tamen non obligatur; quia non ex justitia tenebatur impedire furtum. Si tamen ad officium hominis non spectat, ait S. Bernardinus l. c. & malis seu aliorum damnis, cum possit, non obstat; licet mortaliter peccet, quia non diligit proximum sicut se ipsum, non tamen satisfacere obligatur. Pontas.

• *Nota* Erronea est hæc ratiocinatio: non obligatur ex justitia ad impediendum furtum, sed tantum ex charitate; ergo non tenetur restituere. Non obstant cum oblatre possit, sit alieni criminis v. g. furti reus; ergo tenetur restituere.

CASUS CXXXIV. Theodemirus Judex civilis & criminalis in quodam Provinciæ oppido novit, Julianum Jacobi tutorem usurpare ac diripere bona pupilli sui nemine se opponere auso; nec tamen malo medetur, etiam si desuper fuerit requisitus. Teneturne in conscientia ad reparandum omne damnum huic pupillo illatum?

ꝑ. Cum Theodemirus ratione officii sui fuerit obligatus ad protegendum hunc pupillum, tenetur in solidum una cum tutore ad reparandum omne damnum illi illatum. Pontas.

NOTA. Recte dicitur *in solidum* : qui enim solum ex *charitate* tenetur impedire damnificationem proximi, non tenetur ad restitutionem in solidum, sed ex æquo juxta exigentiam læsi arbitrio boni viri, v. g. confessorii pro variis circumstantiis varie metiendam. Vide *Caf.* 88. 97. 124. 125.

CASUS CXXXV. Amaricus parochus vidit bonam ecclesiam suam dissipari a curatoribus, qui potentia pollentes hanc sibi auctoritatem arrogarunt; quin se opponeret, veritus, ne similitatibus viam aperiret. Teneturne parochus deficientibus curatoribus ecclesiam suam reparare damnum illatum?

R. Ex responsionibus ad præcedentes casus satis colligitur, eum teneri. Deberet parochus in charitate curatoribus atrocem injustitiam proponere, eisque gravem damnum reparandi obligationem inculcare, & si furdis loquatur, sese convertere ad Episcopum, aut implorare deusuper legitimum judicem *Pontas.*

CASUS CXXXVI. Palladius falsum deposuit testimonium circa rem uno abhinc anno factam, ratus tamen, se dicere verum; ac per hoc pars innocens 100. florenorum jacturam passa est. An defectus memoriam eum excusat a peccato mortali, & obligatione reparandi damnum?

R. Si hic defectus memoriam est pure naturalis, Palladius juxta S. Thomam 2. 2. q. 70. art. 4. ad 1. peccati mortalis condemnari nequit, nec, ut addit Cajetanus in *S. Thomam titat.* tenetur ad restitutionem damnum passio. Si tamen ejusmodi testis postmodum adverteret, se veritatem non dixisse, teneretur admonere reum, in cujus favorem deposuit, ut hic damnum parti læsæ repararet; & casu, quo hic restitutionem repudiaret, coram judice revocare deberet testimonium suum, si sine gravi periculo id fieri possit. *Pontas.*

NOTA. Tuta sententia est, ex culpa theologice levi non dari obligationem reparandi totum damnum grave.

CASUS CXXXVII. Thimoleon civis in judicium vocatus ad dicendum de furto sibi noto testimonium, non omnem, ut potuisset, aperuit veritatem, suoque silentio causa existit, quod totum damnum non fuerit reparatum. Teneturne in conscientia fure deficiente refarcire integrum damnum?

R. Si Thimoleon plenam detegendo veritatem non incurrisset grave periculum v. g. amittendi vitam aut bona sua, eximi non potest ab obligatione integrum refarciendi damnum; cum ipsius silentium omiſsæ integræ restitutionis causa fuisse supponatur. *Pontas.*

CA.

CASUS CXXXVIII. Trebonianus Judex valde doctus ac idoneus scit, plures collegarum suorum proxime esse dispositos ad injustam ferendam sententiam, & metuens, ne ipsis displiceret diversa opinando, omnino non accessit iudicium, licet sibi perspectum haberet, se posse illos convincere de committenda injustitia. Teneturne Trebonianus coram Deo reparare damnum per iniquam reliquorum iudicum sententiam parti læsæ illatum?

R. Cum Trebonianus non habuerit causam legitimam se subtrahendi confessui iudiciali, cui ex officio interesse decuisset, apparet, eum teneri ad reparandum parti læsæ damnum: non enim se opposuit injustæ sententiæ collegarum suorum, prout tamen ratione muneris, & in conscientia debuisset. Idem dicendum foret, si Trebonianus adfuisset quidem iudicio, eandem tamen cum reliquis sententiam tulisset, illis complacendi gratia. *Pontas.*

CASUS CXXXIX. Lyfidius & Mœvius contendunt de proprietate domus cujusdam: septem iudices, quibus in hac controversia pronunciandum, Lyfidio infensi domum adjudicarunt Mœvio. licet satis certi, eam pertinere ad Lyfidium. An omnes, & singuli in particulari tenentur Lyfidio ad restitutionem?

R. Omnes tenentur ad restitutionem, licet primi quatuor iudices teneantur præ posterioribus. Si per injustum iudicium reus innocens damnatus fuit omnium iudicum suffragiis, ait Casellus L. 6. c. 16. n. 2. illi, qui ultimi dedere suffragium, post completum requisitum ad sententiæ validitatem numerum suffragiorum, videntur nihilominus obligari ad restitutionem. Ratio illius est; quia tres posteriores debuissent primis quatuor demonstrare sententiæ injustitiam. *Pontas.*

CASUS CXL. Alphius accepit tres dupliones ad faciendum aliquid, ad quod aliunde tenabatur. Teneturne has pecunias restituere?

R. Si ad faciendum id tenebatur ex iustitia, tenetur restituere has pecunias: v. g. si fuisset Judex, & accepisset has pecunias pro ferenda sententia; aut si ut testis suum vendidisset testimonium vel illud deponere recusaret, nisi illi quid detur ultra mercedem jure debitam pro suscepto in iudicio comparandi labore, aut sumptibus itineris eapropter faciendis; aut si invenisset summam pecuniæ, quam nollet reddere, nisi fiat aliqua remuneratio &c. *Pontas.*

CASUS CXLI. Fulgofus a quodam Episcopo obtinuit parochiam intercedente illius cubiculario, cui Fulgofus dederat summam 150. florenorum, eidem promissam, casu quo

U 2

Be,

Beneficio isto potiretur. Jam quæritur, an Fulgofus teneatur reddere hoc Beneficium, & an cubicularius teneatur ad restituendos Fulgoso 150. florenos.

ꝛ. Juxta S. Thomam 2. 2. q. 100. art. 6. C. Fulgofus teneatur reddere Beneficium Episcopo, & cubicularius acceptos 150. florenos erogare in pauperes, quia non licet dare aut accipere temporale pro rebus spiritualibus. *Non debet fieri restitutio*, ait idem S. Doctor Ibid. q. 32. art. 7. C. ei, qui dedit, sed debet in elemofynas erogari. Et eadem ratio est in similibus, in quibus scilicet & datio & acceptio est contra legem. *Pontas.*

NOTA. Spectato solo jure naturæ male partorum per contractus turpes juxta veriorum sententiam jure naturali invalidos semper restitutio facienda est.

CASUS CXLII. Arthemius fruebatur præbenda, de qua canonicè provisus non erat; quia pater ipsius eo incipio ad obtinendam provisionem decem dupliones expenderat. Duobus post aditam possessionem annis venit in notitiam commissæ simoniæ, & conscientie suæ tranquillitatem conciliaturus præbendam dimittit in manus collatoris. Teneturne ad restituendos fructus perceptos ante cognitam suæ provisionis nullitatem?

ꝛ. Si ex perceptione fructuum non fuit factus ditior, ad nullam restitutionem tenetur: fuit enim possessor bonæ fidei. *Fructus bonæ fidei possessores reddere cogendi non sunt*, ait Lex *Senatusconsultum*. 1. Cod. Lib. 3. Tit. 31. *nisi ex his locupletiores extiterint.* *Pontas.*

CASUS CXLIII. Josephus commissam a se inculpabiliter simoniæ post sex primum menses cognovit; & ex hoc statim suam sibi procuravit rehabilitationem, obtenta possessi Beneficii nova provisione. Teneturne restituere perceptos interea ex hoc Beneficio 100. florenos, & necdum consumptos?

ꝛ. Beneficiatus, cujus titulus est vitiosus ac nullus, nunquam potest fructus Beneficii facere suos. Hinc Josephus tenetur ad restitutionem horum 100. florenorum. Nihilominus posset a Papa obtinere condonationem horum fructuum. *Pontas.*

NOTA. In casu, quo Papa convenienter adiri non potest, transactio seu compositio pertinet ad Episcopum, & in ejus difficili accessu ad confessarium nomine Dei, præsertim circa causas simoniacos mere occultos.

CASUS CXLIV. Decanus & canonici cujusdam ecclesiæ collegiatae simoniæ commiserunt in collatione cujusdam præbendæ Julio facta, qui per integrum annum præbendæ fructus percepit, licet conscius commissæ simoniæ. Potestne is, aut debet huic ecclesiæ restituere fructus ex præbenda perceptos?

ꝛ. Si omnes Canonici simoniæ, de qua agitur, rei non sint, sed tantum aliqui, Julius potest restitutionem fructuum facere eidem ecclesiæ; ita tamen, ut complices simoniæ nullum inde emolumentum capiant: excipienda nihilominus est portio distributionum quotidianarum & manualium, quas acceperat cum præjudicio Canoniorum nullo modo simoniæ participium; ad harum enim restitutionem obligatur. Si vero omnia membra Capituli simoniæ rea sunt, restitutio facienda est ecclesiæ alteri, aut pauperibus. Et hæc responsio sumitur ex D. Thoma 2. 2. q. 100. art. 6. ad 4. *Pontas.*

CASUS CXLV. Fortunatus presbyter ac Prior per sex menses non recitavit Breviarium. Teneturne restituere quamdam portionem fructuum, qui consistunt in 50. florenis?

ꝛ. Tenetur restituere partem dimidiam horum reddituum. *Officium, propter quod Beneficium ecclesiasticum datur*, inquit Bonifacius VIII. Cap. *Quia per ambitiosam*. fin. in 6. Lib. 1. Tit. 3. Quod non solum intelligendum est de recitatione divini officii, sed & de omnibus aliis functionibus naturæ Beneficii annexis. *Pontas.*

Vide *Beneficiatus*. cas. 20. & 21.

CASUS CXLVI. Godefridus vir nobilis dno vel tria Beneficia simplicia valde pingua obtinuit pro Francisco secundo suo filio, undecim vel duodecim solum annos nato, & scholas frequentante, licet probè sciens, nullum illi ad statum ecclesiasticum esse animum. Franciscus revera Clericatum nunquam suscipere cogitans, & invitus de his Beneficiis provisus, cum iis se abdicare ob inferiorem ætatem non posset sine consensu patris, absolute volentis eorum retentionem, usque ad annum ætatis decimum sextum Breviarium non recitavit, ubi defuncto patre ocyus sua dimisit Beneficia. Teneturne coram Deo restituere fructus ex his Beneficiis perceptos, quorum administrationem pater habuit?

ꝛ. Non videtur obligari posse Franciscus ad restitutionem fructuum ex Beneficiis perceptorum; eo quod contra voluntatem suam iis provisus fuerit, nec ea retinuerit, nisi quia iis se abdicare haud potuerit. Nihilominus licet ipse non teneatur ad restitutionem propter omissionem Breviarii,

tenentur tamen ad eam hæredes defuncti patris, in quorum emolumentum cedunt fructus percepti; & consequenter etiam Francisco eadem incumbit obligatio tanquam cohæredi pro rata portionis hæreditariæ. *Pontas.*

**CASUS CXLVII.** Bertrandus cujusdam ecclesiæ cathedralis Canonicus, licet sex mensibus absens, quotidianas tamen distributiones sibi persolvi curavit, concedentibus id reliquis Con - canonicis. An propterea liber censendus est ab omni onere restitutionis?

g. Ejusmodi condonatio a Con - canonicis Bertrando facta juxta Concilium Tridentinum Sess. 24. de reform. cap. 12. nulla est, utpote a jure prohibita. Hinc Bertrandus non potest ea uti tuta conscientia; sed tenetur ad restitutionem ecclesiæ aut pauperibus faciendam. *Pontas.*

**CASUS CXLVIII.** Gordius Canonicus per sex menses adstitit Horis canonicis negligenter, sine ulla attentione, & semper voluntarie distractus. Teneturne in rigore ad restitutionem fructuum suæ præbendæ pro rata hujus temporis?

g. Authores circa hanc quæstionem divisi sunt. Caballutius cum aliis l. 6. c. 14. n. 14. censet, Gordium teneri ad restitutionem pro rata temporis; cui sententiæ & nos subscribimus, cum justitiæ contrarium sit sibi aliquod bonum attribuere, quod tantum testinatum est pro iis, qui digne Deo & Ecclesiæ serviunt. Confirmari potest hæc responsio ex decreto quarti Lateranensis generalis Concilii sub Innocentio III. 1215. cujus verba sunt: *Penitus jubemus, districte præcipientes in virtute obedientiæ, ut divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis Deus dederit, studiose celebrent pariter & devote.* Glossa addit: *Studiose quantum ad officium oris, devote quantum ad officium cordis.* *Pontas.*

*NOTA.* Si inattentio solum fuit interna, censo Ecclesiam non obligare ad restitutionem, sicut ex eo capite non obligat ad novam recitationem Breviaril vel auditionem Missæ: Cum enim gravis malitia actuum internorum non habeat mensuram determinatam, ea lex redderet innumeros perplexos sine necessitate.

**CASUS CXLIX.** Pompilius collator præbendæ cujusdam reddituum 250. florenorum, illam contulit Jacobo minus digno præ Joanne illam petente, & singulariter merito. Teneturne Joanni ad restitutionem æquivalentem, eoquod peccaverit contra justitiam?

g. Pompilius ad nullam tenetur restitutionem, etsi peccaverit contra justitiam distributivam; teneretur autem, si peccasset contra justitiam commutativam. S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4. C. Per justitiam commutativam redditur proximo, quod illi debetur. Cæterum obligatio restituendi ex tribus fontibus emanat. 1. Quando res aliena in manibus detinetur. 2. Quando res aliena injuste accipitur. 3. Quando intercedit legitima conventio, seu contractus. In casu autem præfente nihil horum intervenit: nec enim Joannes habet jus in re aut ad rem intuitu hujus præbendæ; nec collator ex quadam conventionem eam ipsi conferre tenetur. *Pontas.*

*NOTA.* Benedictus XIV. concedit circa Beneficia curata actionem evidenter digniori.

**CASUS CL.** Sophronius Canonicus regularis gaudens pensione annua ex quodam officio claustrali, aut ex Beneficio, per meram parsimoniam congeffit 1500. florenos, eosque donavit nepti suæ quindecim aut sedecim annos natæ. Summa hæc maris custodiæ tradita, pervenit in manus patris, qui ea brevi dissipata moritur. Neptis paulo post contrahit matrimonium, & in primo anno fit vidua. Teneturne neptis dare summam restituere ecclesiæ aut pauperibus? Dubium nepti movetur ex eo, quod audiverit, Sophronium, utpote Religiosum, proprium possidere non posse.

g. Distinguendum est inter Religiosum simpliciter fruentem, & officium claustrale vel Beneficium possidentem. Religiosus non potest habere administrationem cujusdam pensionis, nisi cum licentia sui Superioris, quæ concedenda non est, nisi pro necessariis ad sustentationem vitæ. Si Sempronius habet officium claustrale, aut Beneficium, de redditibus disponere potest ut sæculares. Hoc supposito, si Beneficiati ejusmodi sunt domini reddituum beneficialium, possunt pro suo libitu de illis disponere, quin peccent contra justitiam, etiam male utendo, licet peccent contra charitatem; & ii, qui aliquam exinde partem obtinuerunt, ad nullam tenentur restitutionem. Verum si tantum sunt Oeconomi fructuum Beneficialium, prout nos censemus, de eo tantum disponere possunt, quod est necessarium ad honestam sustentationem vitæ, & residuum tenentur erogare in pauperes. Nihilominus si neptis Sophronii bona fide ab eo accepit 1500. florenos, non videtur, eam teneri ad restitutionem; maxime cum exinde non fit facta ditior. S. Beuve tom. 3. cas. 137. *Pontas.*

**NOTA.** Religiosus non potest valide disponere de bonis annexis māsæ aut personæ regulari. Canonicus autem Regularis, cum ex ipsa natura sui ordinis sit capax beneficiorum secularium, licite & valide disponit de redditibus beneficii secularis conformiter ad mentem Ecclesiæ. Idem dicendum de Beneficio regulari, in quo institutio ac destitutio tantum pertinet ad Episcopum, sic ut Vicarius regularis ad nutum sui Superioris amoveri non possit. Ita docet Navarrus comm. 2. n. 6. & 7. & supponere videtur Pontafius hoc loco. Quod tamen intelligendum, nisi alia lex per consuetudinem introducta sit, aut nisi in ipsa incorporatione redditus Beneficii sine exceptione deputati fuerint pro sustentatione fratrum.

**CASUS CLI.** Adrianus tempore vindemialia locavit Bertholdo vasa vindemialia, quæ sciebat esse putrefacta. Bertholdo vinum immittente, illud aut fuit corruptum, aut effusum. Teneturne Adrianus ad reparandum damnum?

ꝑ. Adrianus peccavit mortaliter, & tenetur ad reparandum integrum damnum: idem enim tenendum de contractu locationis, quod de contractu emptionis & venditionis. *Si quis dolia vitiosa ignarus locaverit, ait Lex Sed addes. 19. §. 1. ff. Lib. 19. Tit. 2. deinde vinum effluxerit, tenebitur in id, quod interest; nec ignorantia ejus erit excusata. Pontas.*

**CASUS CLII.** Si Adrianus credidisset, vasa locata non esse vitiosa, tenereturne tamen præstare damnum locatario illatum? Et, si non teneatur, potestne insuper percipere a Bertholdo pretium locationis?

ꝑ. Si Adrianus bona fide vasa locavit, nulla habita iusta ratione suspicandi aliquod vitium, & ea Bertholdo simpliciter tradidit, non affirmata eorum bonitate, sed relicta locatario plena libertate ea visitandi ac probandi ad nullam tenetur restitutionem; cum hæc ignorantia eum reum non constituat: quia tamen hæc vasa ad destinatum usum non erant idonea, Adrianus petere non debet solutionem pretij locationis. Verum si Adrianus hæc vasa locasset affirmata illorum bonitate per fidem suam, integrum damnum Bertholdo reparare teneretur. Et in hoc sensu intelligenda sunt verba legis ad casum præcedentem citata: *Si quis dolia vitiosa &c. & alia Glossæ: Ille tenetur (damni) sive scienter sive ignoranter locet, vel vendat vas corruptum. Pontas.*

**CASUS CLIII.** Daniel sub falsa promissione matrimonii, & violentis sollicitationibus corrupt Joannam octodecim annorum puellam; idque factum est notorium, & publicum. Teneturne puellæ ad aliquam restitutionem? An pari ratione teneretur, si nec fraude nec violentia fuisset usus?

ꝑ. Quod attinet primum, tenetur puellæ reparare damnum, eam ducendo, si fieri possit, & ipsa velit, aut eam do-

tan-

tando. Quoad secundum dico, Daniele ad nullam restitutionem teneri; *scienti enim & consentienti non fit injuria, neque dolus. Pontas.*

**NOTA.** Juxta probationem sententiam, quod contractus turpes sint jure naturæ invalidi, etiam in primo casu Daniel ad nihil tenetur ante sententiam judicis, qui, si expedire videatur, ad hanc poenam potest condemnare reum.

**CASUS CLIV.** Constantina genuit ex adulterio infantem, qui cum allis liberis pro legitimo habetur. Debetne confessarius eam obligare; ut veritatem suo marito vel huic proli declaret, ad præcavendam injustitiam, quam reliqui liberi paterentur? Et sub quibus conditionibus ea est absolvenda?

ꝑ. Principium jure naturali fundatum est, quod nemo teneatur se ipsum diffamare. Hinc Constantina non obligatur ad peccatum suum declarandum, nec marito, nec illegitimæ proli; imo ne quidem crederetur propriam alleganti turpitudinem, & proles adulterina semper haberetur pro legitima in foro externo, non obitante declaratione matris. Ad hæc, quamvis hæc proles teneatur restituere id, quod jam accepit, & ab ulteriori acceptione abstinere, supposito, quod matris suæ declarationi fidem adhibeat; certum tamen est, quod nullo modo teneatur credere id, quod ipsi pater vel mater hæc in re declararet. Interea, si Constantina moraliter certa foret, nullum ex sua declaratione marito facta oritur scandalum aut aliud malum, videtur dici posse cum S. Antonino, eam teneri ad declarandam veritatem; idem sentiendum, si prolem suæ declarationi fidem habituram crederet. Nihilominus tamen sanctus hic Archiepiscopus id restringit ad casum, quo jam antea apud maritum & alios fortis & gravis suspicio invaluisset, prolem hanc esse adulterinam. Ex quibus omnibus sequitur, confessario Constantinæ sufficere debere, ut ei proportionatam delicto penitentiam injungat; quin eam obliget ad declarandam turpitudinem suam. *Pontas.*

**CASUS CLV.** Fernandus suscepit prolem adulterinam ex Bertha Theodori conjugæ, Teneturne in conscientia deficiente matre reparare damnum inferendum, aut jam illatum liberis legitimis, vel hæredibus Theodori & Berthæ?

ꝑ. Dubium non est, quin teneatur ad reparandum damnum, sive id consistat in expensis a Theodoro jam factis in sustentationem hujus prolis, sive consistat in parte ex hæreditate Theodori ab hac prole jam accepta, vel accipienda. *De adultero autem, cujus est filius, ait S. Antoninus 2. part. Summ. Th. Tit. 2. c. 7. §. 4. dicendum videtur, quod si scit, vel*

U 5

cre-